Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3109
Quelle:
Copyright:

um ſignis zodiaci, et laboribus ruſticis ornatum, qui manifeſte *Belgium* reſpiciunt. In hoc *Calendario* aurati *Vincentius* mart. *Amandus* ep. *Bonifacius* ep. *Egidius* ab. *Remigius* ep. *Dionyſius* ep. *Donatianus* ep. *Clemens* papa, *Nicbaſius* ep. Sequitur *Speculum*, ſive examen *Conſcientie*, Officium Angeli Cuſtodis, Preces variae ad *Chriſtum*, Officium de Paſſione duplex cum Precibus variis, Officium de Corpore *Chriſti*, de S. Spiritu, Miſſa de B. V. *Maria*, Initia IV. Evangeliorum, Officium de B. V. Pſalmi de Poenitentia cum Litaniis OO. SS. Orationes variae, Pſalterium dictum *Hieronymi*, Officium Defunctorum, et Commemorationes variorum Coelitum. Corio Thecae argento munitae characteribus impreſſum: *Jobannes guillebert ob laudem chriſti librum hunc recte ligaui.* Eſt is porro incluſus capſae holoſerico violaceo tectae, cujus una pagina nomen Jeſu, altera Paſſionis inſtrumenta filo aureo depicta refert; quod ſemel monuiſſe ſufficiat; neque enim in cognoſcendis *Codicum* indumentis Lectori erudito quidquam repoſitum eſt.

DCCCLXXIII.

963 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 167. 4. eleganter et luculente ſcriptus, literis initiorum et marginibus omnibus auro, coloribusque floridus, et Picturis XI. grandibus decoratus *Horarium* eſt, cui ſequentia inſunt: *Calendarium* lingua *gallica*, a quo *Januarius* excidit, et in quo aurei viſuntur 9. Maji *Saint nicholas* videlicet ejus Translatio, 19. Jun. *Saint geruais et protbais.* 25. *Saint eloy.* 3. Jul. *Saint marcial.* 4. *Saint martin*, nempe Translatio. 25. Aug. *Saint loys Roy.* 9. Sept. *Saint denis.* 23. Oct. *Saint romain.* 23. Nov. *Saint climent.* Evangelia IV. Horae de B. V. M. Pſalmi Poenitentiales cum Litaniis OO. SS. quae Sanctis *gallicis* abundant, Horae de Cruce, de S. Spiritu, et Vigiliae Defunctorum, ante quas iterum cadaver ſacco tantummodo indutum in terram demitti conſpicitur. A *fol.* 13. et ſeqq. Natales quorundam Infantum illuſtrium marginibus adſcripti erant Sec. XVII. Verum inconſulta manus ita membranas adraſit, ut praeter nomina gentilitia *Mortmain*, *Tavannes*, *la Tour* vix quidquam extundas.

DCCCLXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. 958
XV. Folior. 145. 4. charactere craſſo perſcriptum, literis initiorum, et marginibus florulentis deauratis, picturatisque, et Iconibus XIII. grandibus vitae Chriſti myſteria referentibus ornatus *Horarium* eſt, cui inſunt: *Calendarium*, IV. Evangeliorum Πεφικοπαι, Horae B. V. *ad uſum biſ.* (untinum?) Horae de Cruce, de S. Spiritu, Pſalmi *de Poenitentia* cum Litaniis OO. SS. demum Mortuorum Vigiliae. *Calendarium* 17. Jan. *Antonium beremitam*,